



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXVI. Continuatio eiusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

270 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

titudinis, Zeli animarum, sedulitatis ac industria
in docendi munere, quamvis auditores essent ingra-
ti, inimici, incapaces, & contumaces, contemnen-
proprium periculum, oblocutiones, impugna-
tiones, &c.

MEDITATIO CCCXXXVI

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 7. v. 15.

PUNCTUM I. *Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomo-
do hic litteras scit, cum non didicerit ? Respondit eis JE-
SUS, & dixit : Mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui
me misit. v. 15.* Ex admiratione hac, & ex notitia, quod
Christus litteras non didicerit, colligitur, Christum
pro illiterato, & indocto antehac habitum esse. No-
li ergo sciens videri, te ipsum jactare, vel ostentare;
noli laudem, ac estimationem apud alios aucupari;
sed si quid scis, vel si quid in te laudabile est Scientia,
Virtutis &c, id non tibi, sed DEO adscribe; proinde
nihil emolumenti tibi appetas, sed soli DEO.

PUNCT. II. *Si quis voluerit Voluntatem ejus facere,
eognoscet de Doctrina, utrum ex DEO sit, an Ego à me ipso
loquar. v. 17.* Tali animo & desiderio agnoscendi &
faciendi Voluntatem DEI, verba Salutis audias, le-
gas, & mediteris, non ex curiositate, aut vanitate,
aut alio fine. Sic enim fructum & Cœlestium Rerum
intelligentiam percipies. Et *Quoniam in malevolam
Animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore
subditio peccatis. Spiritus enim Sanctus discipline effugiet
sicutum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intelle-*
ctu,

*An, & corripetur à superveniente iniquitate. Sap. 1. v. 4.
Ideo tu studeas, semper Voluntatem DEI facere, ut
cognoscas de Doctrina Christi, quod non sit ab Hu-
mana ejus Natura excogitata, sed à DEO infusa, & re-
velata, & propterea omnis Fides & Obedientia ipsi
debeatur.*

PUNCT. III. *Qui à semetipso loquitur, gloriam pro-
priam querit: qui autem querit Gloriam ejus, qui misit eum,
hic verax est, & in iustitia (qualem mihi tanquam vio-
latori Sabbati affingitis) in illo non est. v. 18. Ecce, qui
sibi, vel ingenio, aut talentis suis aliquid attribuit,
ille non sincerè querit Gloriam DEI. Qui autem
hanc sincerè & unicè querit, sicut Christus quæsi-
vit, ille ab omni fallacia, hypocrisi, & peccato im-
munis est. Sic ergo te ab his immunem redde.*

MEDITATIO CCCXXXVII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 7. v. 19.

PUNCTUM I. *Nónne Moyses dedit vobis Legem: &
nemo ex vobis facit Legem? Hoc primum argumen-
tum est, quo Christus Judæis, de violato Sabbato per
sanationem Paralytici Joan. c. 5. se arguentibus, de-
monstrat, immerito illos sibi indignari, & necem
machinari; quia enim, inquit, nemo ex vobis facit
Legem Moysis, *Quid me queritis interficere, tanquam
Legis violatorem?* Sic quia ipsi in multis offendimus
omnes, & non est homo, qui non peccet; immerito
succensemus aliorum defectibus, immerito in ijs sup-
portandis sumus difficiles, & eos graviter reprehendemus.*

di.